

DE  
**VASORVM OBSTRVCTIONE**  
 QVATENVS  
**FEBRIS ET INFLAMMATIONIS**  
**CAVSSA HABENDA SIT**

INDVLTV  
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
 FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
 IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
 REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
 ET MONSPeliENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS  
 LEGITIME IMPETRANDO

D. XXV. SEPTEMBR. A. R. S. CI<sup>o</sup> IOCC LXVI.

PVBLINE DISPVTABIT

A VCTOR  
**AVGVSTVS GOTTHARD FVHRMANN**  
 IVLINO - POMERANVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAR.

de

# VASORVM ORSTRACTIONE

OAVATINAE

FERRIS ET INFLAMMATIONIS  
CASSY HABENDA SIT

INDIATA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ALMA RREIA FRIBURGIANA

TRAESEIDE

D. ANDREA ELIA BACHINERO

PRO TITRATORI EQUITATIONIS ET EXERCITISSIMO  
FORTISSIMI PRAESIDIUM ET A CONVENTUS INTIMIS  
MUNICIPIIS ET PROVINCIIS MARCHIORUM HABIT ORDINARIO  
EXACTUS DEDICATORI ET CONSULETATE CESSARICO  
IMPENSIVE AGD. MAT. CARLOS PRAESES ET COMITIS FALTA CESARINO  
REVERA SCOTI ET AL. SORITINUM. INGENVANAE. MIRONIANA  
ET MONTEVERDE. SODAT.

PRO GRADU DOCTORIS

LEGITIME MATERIALE

D. XXX. SEPTEMBER. A. C. 1610. DEC. EXAR.

EXACTUS

VASORVM  
GOTHICORVM  
TURMAMIN

JAN. NO. 10. DEC. EXAR.

VASORVM MEDICORVM TITRIS ET EXERCITIS INTIMIS

VIRIS

MVNERVVM SVORVM DIGNITATE SPECTATISSIMIS

PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

IOAN. FRIDERICO SCHEIBLER

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO,

REGIOQUE IN ILLVSTRI GROENINGIANO COLLEGIO,

QVOD STARGARDIAE FLORET, PROFESSORI MEDICINAE

ET PHYSICES CELEBERRIMO,

EIVSDEMQUE CIVITATIS PHYSICO MERITISSIMO,

N E C N O N

ADMODVM REVERENDO, AMPLISSIMO

DOCTISSIMOQUE

D O M I N O

CAROLO GOTTLLOB HIERONYMO FIBIGER

IN ECCLESIA MARKERSDORFIENSI VERBI DIVINI MINISTRO

VIGILANTISSIMO.

P A T R V I S S V I S

AFFINITATE CONIVNCTIS

SVMMO AMORE ATQVE PIETATE COLENDIS,

HASCE

QVALES CVNQVE STVDIORVM SVORVM  
PRIMITIAS ACADEMICAS

# PROSPERA QVAEVIS

DEVOTISSIMA ATQVE PISSIMA MENTE  
PRECATVS  
VLTERIOREMQUE IPSORVM FAVOREM

## OBSERVANTISSIME SIBI EXPETENS

О И Д. Д. Д. О Т

TANTORVM VENERABILIVM NOMINVM

# PÁTRIAIS

**CULTOR ADDICTISSIMVS**

AVGVSTVS GOTTHARD FVHRMANN.



§. I.

*Introitus.*



Quamuis numerus Dissertationum aca-  
demicarum, quae Inflammationum  
Febriumque naturam exponunt,  
haud sit exigius, & quotannis fere  
augeatur: in tanto tamen eruditio-  
rum hominum ea in re dissensu meas  
mihi etiam liceat cogitationes suppeditare, quum pro  
impetranda Doctoris dignitate publicum diligentiae spe-  
cimen exarare mihi incumbat. Multa certe praedictis  
morbis insunt, quae obscura nos latent, multa etiam  
hypothesis, ingenii lusus, manca aut non applicata ob-  
seruatio, adiecit, quae ipsis vel numquam, vel non  
omni tempore tribui debuissent. Quare non mirum,  
quod plurimorum circa eos conamina vix utilia exstite-  
rint, nocua saepius, dum, relictis vere obscuris, eo fe-  
re tantum directa esse videantur, ut obscura obscuris,

A 3 falsa

falsa falsis depellant, reiiciant & emendent. Atque licet e contrario grata cum mente quibusdam concedi debeat, sua se sollertia suoque ingenio effecisse, vt febrium & inflammationum theoriae multum lucis adsumum sit; ipsius tamen pro ea, qua sunt, mentis ingenuitate contentur, non potuisse se omnes obscuritates superare, omnesque soluere nodos. Neque ego memet ipsum tantum amo, vt sperem, fore ut exakte horum morborum theoria exponi meo auxilio possit: forsitan tamen quaedam, quae in hoc scripto occurront, ad eruendas eorum caussas harumque agendi modum perspiciendum utilia esse possunt. Ne vero hac in re errorem committam: *primo* natura febris & inflammationum stabilienda; *dein* vero questio: quandonam obstructio eorum caussam suppeditet? sollertia indaganda erit. **Faxit**  
**DEVS T. O. M.** vt haec omnia feliciter cedant.

## §. II.

*Phaenomena, quae in omni febre semper obseruantur.*

A febre nunc ordior, vt pote quae ad intelligendam inflammationis naturam ex parte cognita supponitur. Cum autem natura morbi ex perspectis, quibus stipatur, symptomatibus & phaenomenis quam optime deducatur: ea praemittere iuuabit, quae in omni febre clare apparent, neque per ratiocinia demum ex veris phaenomenis colliguntur. Quae vero ita comparata sunt, ea omnia ad *mutatum pulsum* redeunt. Docet nempe obseruatio, in omni febre adesse I) *pulsum numero auctum seu frequentem.* Pulchra ea de re obseruata collegit *Illiustris de HALLER* (*Element. Physiolog. corp. human.* Tom. II. pag. 253. 265. seq.). Centum pulsus pro lenioris febris termini-

*quatenus Febris & inflammationis causa habenda sit.* 7

termino habet, atque etiam *Ioan. FLOYER.* In *catarhali* leuissima febre centum adfuerunt pulsuum ictus, immo in aliis casibus ad 108. & 113. pulsus numeravit *FLOYER.* Centum pulsus in principio febris *biliose* reperit *celeberr. TISSOT.* Idem numerus deprehensus fuit in febre eruptoria *variolarum inoculatorum* (*Journ. de Medecine* 1757. M. Sept.), alias longe magis increscens, etiam ad 150. In *intermittentibus, inflammatoris & exanthematicis* pulsuum numerus non minus longe naturali maior exsistit, neque defuit etiam in ipsis malignis, ut rariorem hinc in his febribus pulsum, quem nonnulli obseruatum esse volunt, aut hypothesi, aut horologii defectui, aut singulari pulmonum vitio *HALLERV* scribat (*loc. cit. pag. 255.*). Omni ergo febri pulsus frequentia competit. Regeri quidem posset, in peripneumonicis & pleuriticis pulsum nonnumquam intermittere, quod in illis saepe se obseruasse testatur *Illiustr. de HALLER* (*loc. cit. pag. 456. not. s.*), quodque etiam casu, a *clariss. ZIMMERMANNO* (*Tr. von der Erfahrung Th. I. pag. 355. 356.*) descripto, confirmatur; at in his & longe pluribus similibus exemplis vel pulsus intermedios tantum obscuros esse, vel febrem *supprimi*, sicuti id a plethora haud raro sit, facile patet, vt ergo eam adesse iure negari possit. II. *Pulsuum celeritatem.* Dicit *BOERHAAVIVS:* *Sola velocitas pulsus* adest *omni febris tempore, ab initio ad finem, eaque sola Medicus praesentem febrem indicat.* Vid. *EIVS Aphorism. de cogn. & cur. morb. S. 570. & seq.* *HOFMANNVS* quoque, licet pulsuum istam velocitatem tantum non faciat, ac *BOERHAAVIVS*, nihilominus asserit, in febre *fluida vitalia, aucta, post spasmum, cordis & arteriarum systole, celeriter cum*

*cum aestu extrorsum pelli.* Conf. EIVS Medicin. system. ration. Tom. IV. Part. I. pag. 5. §. III. *Illustr. de HAEN* (*Diuisiōn. Febr.* pag. 9.) *febrim* definit per morbum, qui pulsū naturali velociore cognoscitur. *Illustr. de HAL-LE-* *LER* non tantum adfirmat, pulsuum celeritatem plerumque cum frequentia coniungi, sed quoque ostendit, in febribus non tarditatem pulsiūm, sed velocitatem ades- se (loc. cit. p. 248. 255.). Haec aliaque testimonia, quae, ne multus in hac re sim, omitto, satis ostendunt, nullam dari febrem, quae absque pulsū celeri exsistat. Eadem vero coniuncta cum frequentia, omne id est, quod constanti lege in febribus omni tempore deregimus. Nam spasmus, sudor, aestus, febre licet praesente, abesse pos- sunt, sunt ergo symptomata, ut dicuntur, *temporaria* tantum. Quid? quod ne *necessaria* forsitan dici meren- tur. Notauit SYDENHAMVS, nonnullarum febrium intermittentium paroxysmos *non cum rigore & horrore*, *quos postea febris excipit, inuadere* (Epistol. respon- sor. I.), atque clar. STOERCK (Ann. med. I. pag. 75.) *non omnes*, inquit, *paroxysmi* (febrium intermittentium) *cum frigore incepunt, sed erant quidam aegri, qui illico ci- tra omnem horripilationem magnum aestum conquesti sunt, quo cessante copiose sudarunt.* Atque demum *perillystr. van SWIETEN* (Commentar. in Aphorism. BOERHAAVII, Tom. II. §. 563. pag. 7.) *vbi a cauſa ex- terna*, inquit, *id est, quae non praeexistit in corpore ante febrim natam, febris oritur, non semper adeſt illa horripilatio.* *Vti v. g. dum quis summa & subita ira exandescens febricitat, nulla horripilatio sentitur, sed calor tantum.* *Idem verum est, dum post validissimos & diuturnos corporis motus acutissima & saepe subito lethalis*

quatenus Febris & inflammationis causa habenda sit. 9

*lethalis febris acceditur, nam & tunc nullus frigoris sensus adeit.* Sunt itaque verae febres, quae sine cutis ipsam ingruunt; is ea propter necessarium febris symptoma dici nequit. Idem de aestu & sudore affirmandum erit. De hoc quidem facile patet, cum toties febres incident, in quibus sudor non apparet. Quod vero aestum attinet, testatur HVXHAM (*Oper. phys. med.* Tom. I. p. 122.), in specie quadam febris variolae, cui neruosiæ febris symptomata sese adiungunt, *nullum aestum maiorem* deprehendi; manifesto sine dubio documento, eum non omni ex parte necessarium febris symptoma nuncupari posse. Sola idcirco pulsuum frequentia & velocitas id est, quo febrem quamcunque & omni tempore generatim cognoscimus.

### §. III.

*Notio febris eiusque causa generalis.*

Quae vero cum ita sint, necesse est, ut notio etiam febris a pulsuum frequentia & celeritate desumatur; nulla enim securior est veras morborum notiones condendi methodus, quam quae essentialibus eorundem characteribus innititur. Iure ergo affirmatur, *febrem esse* morbum, qui pulsuum tam frequentia, quam celeritate dico[n]scitur. Neque hinc morientium statum, atque eum, qui vehementiores animi commotiones, motus corporis enormes, ingluviem inseguuntur, cum febre coniungi iniuste asseritur. Vid. *Perillustr. van SWIETEN* loc. cit. ad §. 571. Arque nunc causa febrium generalis intelligitur. Pulsuum nempe *frequentia* a frequentiore cordis contractione, haec autem *vel* a velociore sanguinis ad cor reditu, *vel* ab imperfecta multum cordis euacuatione (qua fit,

B

fit,

fit, ut cum cor sepe non satis a sanguine sua contractione liberare possit, fere continuo a superstite sanguinis copia irritetur,) originem suam sumit. *Velocitas pulsuum, naturali maior, ponit dilatationem arteriae, quae intra breuius naturali temporis spatium evanescit; nascitur ergo a celeriori cordis contractione, hinc a stimulo quacunque ex causa fortiore.* Iam cum febris maiore pulsuum frequenter & celeritate absolvitur, sequitur, *causam febris generalem in stimulo fortiori, cordi frequentius applicato, fitam esse.* Simplicissima vero haec febris causa in numeras pene alias specialiores resoluti potest, quae, ut haberemus, cui sequens tractatio innitatur, paulo quidem curatius eoque magis perpendendae essent, quo maiorem lucem haec disquisitio febrium theoriae adfundit. At cum istae a tot summis Viris satis iam expositae existent: superfluum fore arbitror, si iisdem recensendis immorari vellem. Ad *vasorum ergo obstruktionem*, tamquam causam febrium, vnicce haec applicabo, atque *duo* hic momenta considerabo: 1) An & qua ratione obstrutio causa febris dici possit? 2) quaenam speciam febres inde generari possint?

#### §. IV.

I. An & qua ratione obstrutio vasorum causa febris dici possit?

a) In arteriis.

*Obstrutio vasorum* ponit cavitatem eorum ideo abolitam, quod spissa materia aut durum corpus eam repleat. (*GAVBII Instit. Pathol.* §. 209. n.1.). Quare, cum haec mutationes in quoconque vasae contingere possint, is etiam morbus in omnibus corporis humani canalibus absolute est possibilis, sive *arteriae*, sive *venae*, sive *vasa secre-*

*quatenus Febris & inflammationis caufa habenda sit.* II

secretoria fuerint. Inquiramus ergo a) an arteriarum obstruc<sup>tio</sup> febrium exsistere queat caufa? Omnia, quae hinc contingere possunt, rite perpendentes, facile deprehendemus, fieri omnino posse, vt hinc febris nascatur. Quando nempe arteriarum incidit obstruc<sup>tio</sup>, tunc I) sanguis venosus iusto celerius ad cor redire potest, atque inde caufa febris nasci. Etenim obstructam arteriam sanguis percurrere nequit, neque ramos, qui ex ea oriuntur; hinc vel stagnare circa locum obstructum incipit, vel ad arterias communicantes abit. Vterque certe casus accidere potest. Prior quidem, quando aut sanguis tam paruo impetu versus locum obstructum mouetur, vt vim suam ea resistentia, quam erga illum molecula obstruens exserit, statim amittat, hinc stagnare debeat; aut obstruc<sup>tio</sup> integrum ramorum arteriosorum plexum occupat, per truncum vero tam rapide aduehitur sanguis, vt prior eius vnda, proxime locum obstructum tangens, ob magnam subsequentis resistentiam reduci ad communicaentes arterias non possit, atque ideo, cum neque retrorsum, neque antrorsum promoueri queat, stagnare circa obstructam partem incipiat. Clarius hoc patet in exemplis. Minime negari potest, ex obstructis arteriis varios tumores lento<sup>s</sup>, v. g. scirrhos, nasci posse; horum vero ortus in praedicto casu concipi nequit, nisi assumas primo, moleculas obstruentes, primo natas, impedire, quo minus sanguis aut aliud corpus aduectum libere vas obstruendum transeat, dein vero corpus hoc propulsum paruo impetu vehi, atque ideo stagnare, nouam postea generans obstructionem, vsque dum demum verus exinde nascatur tumor. Quo exemplo docetur, dari non solum arteriarum obstructions, quae efficiunt, vt vndae sanguinis

nis aut alias fluidi subsequentis stagnent, sed hanc etiam stagnationem inter alia tunc nasci, quando impetus sanguinis multum languescit. Longe alia ratione oriuntur & increscunt tumores inflammatorii. Patebit ex subsequentibus, inflammationem obstructis nonnumquam arteriis deberi, quae dein, morbo incremente, in tumorem attolluntur. Hoc in casu molecula obstruens impedit non solum transitum sanguinis per ramos, sed sanguis etiam, quum maxima vi ad locum arteriarum obstructum propellatur, hincque vnda subsequens regredi molienti priori nimium resistat, magis magisque stagnare atque obstructionem adaugere debet. Intelligitur itaque exinde, sanguinem appulsum circa locum obstructum ideo etiam stagnare posse, quod versus eundem nimia cum vi vehatur. Vidimus iam hactenus, fieri posse, ut, dum in loco quodam arteriae obstructio nascitur, sanguis huc promotus stagnare possit. Sequitur ergo, ut ostendam, casum posteriorem, quem proposui, possibilem esse, posse nimirum sanguinem, versus obstructam arteriae partem ruentem, per ramos etiam communicantes ulterius propelli. Fiet id, quando multa vasa, quae plexum obstructum constituant, adhuc libera sunt, ut sanguis, cui pars obstructa transitum denegat, per ea facile vechi queat: vel quando in loco obstructo ramus magnus alias arteriae vicinus naturaliter adeat, per quem sanguis aeturum, ob vicinitatem hanc, deriuari, neque ideo obstructionem producere possit, multo vero magis, quando sanguis moderate adfertur. Quibus praemissis, pone nunc, obstructionem *primo* ita contigisse, ut sanguis incipiat stagnare: fieri inde aliter non potest, quin demum spatium sanguini circulanti praescriptum diminuatur. Quoniam autem ista

ista stagnatio, vti diximus, vel a minori sanguinis impe-  
tu, vel ab eodem nimium aucto oritur: sequitur, non nisi  
in hoc casu naturali statu celerius sanguinem ad cor re-  
duci, in illo vero minime, cum id, quod tunc spatio cir-  
culationis decedit, motus lentore resarcitatur. Nunc  
porro, quando motus sanguinis vehementior est, stimu-  
lus fortior cordi applicari debet. Si ergo arteriae sint  
obstructae, & sanguis adueniens stagnare incipiat, idque  
ob aquatum illius motum: opus tunc est, vt cor non so-  
lum frequencius, sed etiam fortius irritetur. Hinc au-  
tem nascitur causa febris (§. III.), quam ergo obstruc-  
tio arteriarum suppeditare potest. Pone vero iam *alterum*,  
quem propositum, casum, sanguinem nempe circa lo-  
cum obstructum non stagnare, sed deriuari: omnino  
tunc quidem spatium circulationis contrahitur, atque  
sanguis statu sanitatis celerius ad cor reuehitur, vt pul-  
suim etiam inde vera nascatur frequentia (§. anteced.).  
Quum vero ad febrem non solum frequens, sed etiam  
fortis stimulus requiratur, qui in praedicto casu non ne-  
cessario adest: sequitur, ex eiusmodi obstructione, in se  
spectata, febrem minime oriri posse, atque id eo minus,  
quo certius est, quod quae in eo casu obstructa sunt va-  
sa, saepe tam pauca sint, vt ne pulsuum quidem frequen-  
tia a Medico sensibus detergi possit. Scirri partium, qui  
proprie sine febre occurrunt, inflammations, numquam  
fine omni febre existentes, nisi ob aliam causam impe-  
diatur (§. II.); leues demum obstrunctiones, quae frequen-  
ter in vasibus, notabili anastomosi iunctis, contingere sine  
febre debent, haec, quae dixi, satis confirmant.

## §. V.

*Continuatur haec materies.*

Ea tamen, quam modo descripsi, ratio, qua genesis febris arteriarum obstrunctione inseruit, non unica est, quae munere quasi hocce fungitur. Nempe 2. non raro fit, ut eiusmodi obstrunctione stimuli vicem subeat, qui, cor ad validiores & frequentiores contractiones incitando, febris euadat causa. Ea nempe est cordis ratio, ut in statu sanitatis numquam totam suam vim in sanguinem impendat (Illustr. EBERHARDI *Conspict. Medic. theoret.* Part. I. p. 99.). Quodsi ergo maiorem experiatur resistantiam, ipsumque satis sit robustum: fieri aliter non potest, quin maiores & fortiores natus edat. Nunc vero pars obstruenda cordi resistit. Nonne itaque cor, minime debilitatum, inde fortius irritari debet? Tunc autem simul motum sanguinis intendit, ut huius per venas redditus celerius absoluatur. Quare obstrunctione efficere potest, ut non solum fortius, sed etiam frequentius cor irritetur; hinc febris accendatur (§. III.). Atque hac fere ratione ortum febris ab obstruenda arteria concipit Illustr. de HALLER (loc. cit. pag. 251.): *Quoties, inquit, per arteriam sanguis cessat exire, neque vires hactenus deficiunt, toties cor stimulum venosi sanguinis retinet diutius, & malignius expedit, atque adeo celerius pulsat & violenter.* Addit dein (not. y\*): *Ita crediderim celeritatem sanguinis febrilem explicari posse, non a diminuto vasorum liberorum numero, atque adeo sanguinis per pauciora libera necessario celeriori itinere.* Ex §. anteced. adparet, posse omnino arteriarum obstrunctionem febrem nonnumquam ingenerare, dum spatium circulationis contra-

contrahit atque fortis simul adest stimulus. Quoniam autem hic non semper adest (§. anteced.) : hinc forsitan Illustr. de HALLER negat, nasci febrem a diminuto vasorum liberorum numero. 3. Dolorem, qui ab arteriarum obstructione nascitur, tamquam febris causam considerare possimus. Dum enim obstruentes moleculae arterias vehementius distendunt: saepe ingens inde dolor producitur. Is vero fortius non solum irritat cor, sed concitat etiam sanguinis motum, vt ab utroque simul febris suboriatur (§. III.). 4. A diurna partium obstruktione mixtio sanguinis corrupti, hinc febris oriri potest. Viscera enim praeparationi humorum inserviant, dum attenuant, condensant, miscent & secernunt, prout pulmones, hepar, renes, &c. id ostendunt. Facile ergo fieri debet, vt a diurna eorum obstruktione massa humorum corrupta acris euadat. Fortior tunc stimulus praesens sanguinis motum ita intendit, vt non possit non certam validius, quam frequentius irritari, ergo febris subnasci (§. III.). 5. Solet etiam arteriarum obstructio calorem corporis augere, siue id nunc ab acrimonia (n. 4.), siue ab aucta restringentia (n. 2.), pendeat. Calor autem adaugatus forius est irritamentum atque hinc causa febris (§. III.). Demum 6. pars vicina obstructae pressionem experitur, quae, cum actionem cordis intendere possit (n. 2.), febrem producere, praesentem autem maiorem reddere valet. Atque haec de arteriarum obstruktione, tamquam causa febris, generatim dicta sufficiant.

§. VI.

b) In Venis sanguiferis & absorventibus.

Sequitur, vt de obstruktione venarum ostendatur:  
an

an febres inde excitari possint? Venae vero sunt vel *sanguiferae*, vel *vasa absorbentia*; de vtrisque ergo hic agendum. Quod iam *venas sanguiferas* attinet: earum obstruc*tione partim* in minoribus, cum arteriis proxime con*nexis*, *partim* in maioribus locum inuenire potest. Si *prius*: omnia ferme, quae de arteriarum obstruk*tione* diximus, affirmari possunt. Eiusmodi nempe obstruc*tione* spatium circulationis abbreviat; oritur maior resistentia erga cor; dolor non minus hic possibilis, vna cum calor*is* augmento; atque, cum obstructae minores venae obstruk*tionem* in ipsis demum arteriis producere queant, mala etiam sanguinis mixtio ab obstruk*tionis* in minimis venis diurnitate enasci potest. Haec comparata cum iis, quae §§. IV. V. allata sunt, docere possunt, quid de venarum istarum obstruk*tione*, tamquam causa febris, dici queat. Quum cor interea paruam in venas ipsas vim, si ullam, exserat: facile patet, obstruk*tionem* minimarum eiusmodi venarum, in se spectatam, vix cau*ssam* febris suppeditare & numquam forsitan, nisi arteriae ad*ficiantur*. Si *posteriorius*, nempe maiores venae ad*ficiantur*: immediata fere nulla febris cau*ssa* cogitari potest, cum eiusmodi venae certo certius extra cordis sint imperium (§. antec. n. 2. 5.), parum etiam sensiles ex*sistant* (§. cit. n. 3.), atque, quod contrahi inde spatium circulationis potest, nondum sufficiens sint febris cau*ss*a** (§. IV.). Si umquam hinc febris nascatur: videtur a compressione vicinarum partium (§. antec. n. 6.), affectione nerui propinquai (§. cit. n. 3.), aut obstruk*tione* ad arterias usque propagata, originem suam sumere. Plura de his non dicam, cum neminem nouerim, qui venarum sanguiferarum obstruk*tionem* ad febrium cau*ss*a** proprias referat;

referat, omittere tamen hanc tractationem non potui, cum de omnium vasorum obstructione loqui mihi incumbat. Grauiorem febris causam suppeditant saepe 2. *vasa absorventia* obstructa. Eiusmodi nempe vasa, ut ex Physiologia constat, modo lympham, modo chylum, modo serum absorbent. Si nunc obstructa fuerint: absorptio hinc lymphae, chyli, aut seri impeditur. Absorptio vero lymphae aut chyli impedita, defectum eorundem in massa sanguinea infert; unde non solum nutritio laeditur, sed etiam acre, ob blandi defectum, inducitur. Nonne hinc multiplex febris causa (§. III.)? Seri quoque absorptio impedita febri fauet. Restagnans enim hoc fluidum in spontaneam demum abit corruptionem, acre fit, simulque causa febris (§. III.), quod hydrops docet.

§. VII.

c. In *vasis secretoriis*.

Restat tertia obstructionis vasorum species, ea nempe, quae in *vasis secretoriis*, cumque his connexis, quam Pathologi non raro pro vera febris causa assumserunt, innumera saepe, ut sistema suum ornarent, fingenentes. Curatus itaque paullo hac de re dicendum erit. Occurrunt hic quaedam febrium causae, quas nemo in dubium vocat. Sic v.g. vas secretorium & excretorium, quod materia acris, corrupta, naturaliter transit, obstructum, ob retentam eiusmodi materiam acrem, febrem sine dubio accendere potest, uti febres biliosae, catarrhales, id manifesto nonnumquam docent. Sic etiam distensio eiusmodi vasorum vasa vicina sanguifera comprimere, neruosque irritare potest, ut hinc febris oriri debeat. At haec aliaque facilia sunt, neque dubitationi subiecta.

C

Num

*Nun vero obstratio vasorum, arteriis sanguiferis minorum, cordis actionem resistendo adaugere, sicque febrem procreare possit, fere ut de arteriarum obstruktione dictum est (V.): illa est vexata quaestio, quam nostrae aetatis nonnulli suis maxime dubiis claram reddiderunt. Vid. Illustr. de HALLER l. cit. Tom. I. Libr. II. Sect. I. Solueretur interea facile, si vasa illa, ex arteriis sanguiferis oriunda, his tamen minora, diuidantur in ea, quae immediate hinc prouenient, & in ea, quae ex aliis demum minoribus originem sumunt. Quod haec attinet, numquam cum veri specie assumi potest, eorum obstruktionem, eo, quo diximus, respectu febrem efficere posse; nimium enim a corde distant, quam ut nata ex eorum obstruktione resistentia cor validius irritare posset. Neque reponi debet: natam eiusmodi in his vasculis obstruktionem resistere fluido, ex iis, quae immediate ex arteriis rubris nascuntur, afferendo, hoc iterum illi resistere, quod per arterias rubras aduehitur, ex huius vero demum resistentia cordis validiore motum & febrem oriri. Et enim, eo etiam concessio, minimorum istorum vasculosorum obstrukcio febrim minime generaret, sed potius aucta in arteriolis rubris resistentia; ilii ergo non id, quod huic competit, tribui debet. Sed ne dici quidem potest, quod isticusmodi obstrukcio tantum arteriarum rubrarum resistentiam erga cor adaugere queat, ut inde febris oriatitur. Quod ut intelligatur: notandum est, obstrukiones vasorum rubrorum lentas numquam sola resistentia generare febrem, sed eas tantum, quae subito atque cum vehementia quadam nascuntur. Docet id scirrus, comparatus cum inflammatione. Nunc obstrukcio arteriarum rubrarum in eo, quem proposui, casu, si umquam, certe*

cerne lente oriri debet. Vel enim ponis, obstructionem in minimis ipsis vasculis ipsis lente subortam esse, atque tunc lentius etiam sese ad vasa rubra extendat necesse est; vel subito eam natam esse fingis. Tunc vero non aequo cito in vasibus rubris nasci potest, partim quod valida huius obstructionis caufa non adsit, partim quod vasa communicantia, in locis secretoriis tam copiosa, id impedian. In omni ergo casu, qui hic assumi potest, non nisi lenta orietur obstru<sup>c</sup>tio, quae ergo, vt dixi, febrem sola resistentia producere nequit. Restat, vt inquiramus: annon obstru<sup>c</sup>tio vasorum minorum, quae a minimis arteriis immediate proficiscuntur, caufam febris propter resistentiam (§. V. n. 2.) suppeditet? Si obstru<sup>c</sup>tio parua fuerit, aut lente placideque oriatur: febris hinc nulla metuenda erit, cum cor inde vel adeo paruam experientur resistentiam, vt instar nullius habenda sit, vel eidem, temporis mora, quasi adsuefiat, vt vim sibi oppositam non sentiat. Accedit, quod lenta eiusmodi obstru<sup>c</sup>tio efficiat, vt vasa, cum obstru<sup>c</sup>tis connexa, magis magisque distendantur, copiosior hinc fiat humorum a loco obstru<sup>c</sup>to deriuatio, quo impeditur, quo minus cor grauem resistentiam percipere queat. At magna, subita, violenta horum vasorum obstru<sup>c</sup>tio, non poterit non febrium genesi fauere, cum ideo non solum magna cordi obiiciatur resistentia, sed ea etiam, quae musculum huncce, vt omne subira- neum, maximopere afficit. Horum veritatem doceant inflammations, quae dicuntur, spuriae, quarum ortum non possumus, nisi descripta ratione, concipere. Sed fuis de his in subsequentibus differendum erit, quando de inflammationibus loquar; nunc generatim haec euicta sufficere possunt.

## §. VIII.

*II. Quaenam febres ab obstruktione vasorum nascantur?*

*a) Dantur, quae nunquam hinc oriuntur.*

Generatim nunc intellecta obstruktionis ad generandam febrim ratione, superest, ut febres speciatim consideremus atque ostendamus: quaenam sint inter eas, quarum ortus obstruktoni debeatur? Ne vero quidquam hac in re omittatur: notabimus *a)* dari febres, quae ab obstruktone numquam oriuntur. Refero hoc *i. catarrhales*. Fuere equidem, qui, cum animaduerterent, catarrhales febres cum grauedine, coryza, aliisque affectionibus, ut dicuntur, catarrhalibus coniungi, eas his deberi, hincque ab obstruktone vasorum quorundam muciferorum, per pituitam facta, proficisci arbitrati sunt: at nimis est facile, hanc opinionem refellere. Isti scilicet catarrhales affectus non semper praecedunt, sed febrem saepe faepius sequuntur; gradus etiam febris minime istarum affectionum magnitudini respondere obseruantur, cum hae, si magnae, haud raro absque vera febre, si paruae, cum notabili febre sociatae deprehenduntur; ortus praeterea febrium catarrhalium ab iis, quae copiam seri acrioris ingenerant, manifesto docet, acrimoniam caussam earum, non obstruktonem esse; quod denique ea obseruatione confirmatur, qua constat, febrem catarrhalem haud difficulter in purpuram albam degenerare, aut alios affectus, quorum origo sine dubio ab acrimonia repeti debet. Quae cum ita sint, pluribusque in *Dissertat. Illustr. PRAESIDIS, de Catarrhis, quatenus salutem adserre dicuntur*, demonstrata legi possint: febres catarrhales nullam plane obstruktonem, tamquam caus-

*quatenus Febris & inflammationis causa habenda sit.* 21

causam postulare, & hinc absque ea generari, manifestum est. 2. *Putridae, exanthematicae, & quae his similes sunt.* Harum enim omnium origo acrimoniae singulari debetur, & quae obseruatur aut contingit obstructio, in earum cursu, febri ipsi adscribenda, minime vero pro huius causa habenda est.

§. IX.

b) *Altæ non semper ab obstructione pendent.*

Febres dantur longe plures, quae quidem nonnumquam ab obstructione, alias vero absque ea nascuntur. Huc reuoco 1. *bilioſas.* Oriuntur istae vel a bile, subito cum impetu ad massam sanguineam e ductibus suis regrediente, vel ab eadem in primarum viarum canalem impetuose effusa, vel dum circa praecordia magna corruptae bilis copia haeret, vel deinde a diathesi sanguinis biliosa, quale quid innuit *Franciscus HOME* (*Commentar. de reb. in Scient. matur. & Medic. gest.* Vol. IX. pag. 498.). Facile ergo intelligitur, posse quidem febres biliosas ab impetuosa hepatis obstructione nasci, quod etiam Hepatitis non raro confirmat; dari tamen interea quasdam, quae ab alia causa originem suam sumant. 2. *Lentas & hec̄icas.* Earum nonnullae ab infarctu & obstructione graui viscerum, aliarumque nonnullarum partium, oriuntur; saepe tamen non minus a pure reforpto, aut stasi, in cellulosa enata, proficiscuntur, quare non semper ab obstructione pendent. 3. *Intermitentes.* Docuit nempe Illustr. PRAESES (*Dissert. de rite diudicanda Haemorrhagiar. in febr. intermittent. salubritate.* Hal. 1765. §. III.), febres intermitentes vel solum ex neruorum vicio nasci, vel a materia quadam, aut pri-

mas vias, aut viscera occupante, atque nervos maiori stimulo adficiente, produci. Patet ergo, eiusmodi febrium caussam nonnumquam in obstruktione quaerendam esse, eas vero alias sine vila obstruktionis nota procreari, atque ideo earum ortum non semper ab obstruktione repeti debere. Atque id ipsum obseruationes, quas I. m.c. Illustr. PRAESES adduxit, luculenter confirmant, vt, cum ibi legi possint, pluribus ea de re differere non opus sit. Curatius paullo de febribus inflammatorii hic differendum erit, vt obstruktionis ad eas respectus clarius intelligatur, atque diuersi modi, quibus & inflammatio, & febris inflammatoria gignitur, elucescant. Ex dicendis simul innotescet, cur hac occasione de iis dicam.

## §. X.

*His febribus etiam inflammatoriae adnumerandae sunt.*

Vt pateat haec propositio: opus est, vt in naturam inflammationis eiusque ortum inquiramus. Ponit nempe ea stagnationem sanguinis, cum motu aucto versus locum, vbi stagnatio obtinet. Tumor *stagnationem: rubor sanguinis quietem*; ardor & pulsatio fortior *morum auctum* in inflammatione parteque quam occupat, innuunt. Quoniam nunc haec coniuncta nulli morbo, sola excepta inflammatione, competunt, sequitur, eam tot possibilibus modis gigni posse, quot dantur, per quos illa attributa produci possunt. Oritur ergo inflammatio, 1. quando *cum impetu sanguis in telam cellularem exhalat*. Pulcherrime scilicet docuit Illustr. de HALLER, ex arteriis in telam cellularem, siue per poros, siue per breues canales patere viam, ita, vt per eos in statu sanitatis modo sola lympha, modo haec cum adipi a sanguine

guine arterioso in eam corporis humani particulam effundatur. Atque notum est, quod, quando anastomosis, sensu pathologico sumta, contingit, sanguis in ea vasa transeat, per quae, praesente sanitate, sanguine tenuius fluidum vehitur. Nonne itaque sanguis praeter natura liter in eam totam cellularē exhalare potest, cui alias aut lympha, aut adeps infunditur? Quod quidem vel lentius, vel subito & cum impetu fieri potest. Si prius sanguis aut per vasa cellulosa reuehentia absorbetur, ut nullum notabile vitium ab exhalatione oriatur; aut non absorbetur, sed stagnare incipit, quo in casu, ob sanguinis copiam, tumor quidem efficitur, sed latus, hinc a natura inflammatorii maxime remotus. Quodsi vero *posterioris* accidat: ob copiam sanguinis, cum impetu effusi, cellulosa subito expanditur, dilatatur; vasa, per eam decurrentia, arteriosa compressionem subitam vehementem, que patiuntur; oritur hinc horum omnium aucta versus cor resistentia; cordis idcirco reactio validior motusque sanguinis versus illa vasa augmentum. Nonne ergo inflammatio? 2. Quando *subitanea & impetuosa* producitur *vasorum arteriosorum obstructio*. Obstructio horum valorum *lenta* tumorem quidem & distensionem, minime vero auctum versus locum obstructum sanguinis motum efficit, cum cor resistentiae, non subito factae, successiue aduerscat, hinc eandem non percipiat, sere eodem modo, ut ventriculus venena, primo exigua in quantitate adsumta, diutiusque dein continuata, amplius non sentit. Subita contra ea arteriarum obstructio subitam & violentam cordi obiicit resistentiam; hoc ergo non poterit non validius reagere, motumque sanguinis circa locum obstructum intendere, hinc inflammationem efficiere,

cere, si modo illud non nimium debilitatum, aut obstruc-  
tio non admodum magna fuerit. Demum 3. quando si-  
milis a sanguine facta obstructio in vasis sanguiferis ar-  
teriosis minoribus, ex iis tamen immediate oriundis sub-  
nascentur. Euictum enim dedi §. VII. tunc cordis actio-  
nem intendi. Quare eadem ratione hinc inflammatio na-  
scetur, qua eius ortum n. 2. adumbravimus. Hanc spu-  
riam dicunt, sicuti reliquas illius species n. 1. & 2. expo-  
sitas, ad veram referunt.

## §. XI.

## Dubia Illustris de HALLER.

Contra hunc inflammationis ab obstrukione vaso-  
rum ortum dubia mouit Illustr. de HALLER (*Element.*  
*Physiolog.* Tom. I. pag. 115. seqq.). *Obstructio*, inquit,  
cum vinculo proxime conuenit, quod humoris per vasa  
nostra liberum iter intercipit. Et vinculum vero & ob-  
structio numquam inflammationem ciet. *Vinculum* qui-  
dem iniectum maximis arteriis, umbilicalibus in fetu mo-  
do nato, carotidi, aliisque truncis in vivo animale, nihil  
producit inflammationi simile. Post aliquot pulsus, &  
tumorem subito natum, sed parum omnino crescentem,  
sanguis a vinculo auersus in vasa vicina libera se recipit,  
plus datura sanguinis si incideris, proprium vero truncum  
inanem, & cum paucō residuo sanguine coailitum, relin-  
quit. Inexquis & pellacentibus vasculis, in quibus micro-  
scopium, quid agatur, detegit, perinde vinculum adhibitum  
penitus contraria facit eorum, quae ex recepta sententia  
fluunt. Tantum enim abest a distentione canalicul ligato-  
rum, ut sanguis vinculum fugiat ramumque imperium,  
inque comunicantes arterias se recipiat, donec is, quem  
vixi.

vinxisti, omnino inanis supersit. Pergit dein Vir illustris: Obstructionem etiam saepe in vino animale vidi. Aliquando sanguis in ipsis arteriis cogitur, globulis in unam quasi massam confusis (second Memoire sur le mouvem. du sang. Exper. 54. 93. REMVS in Exper. ad circul. sanguin. pag. 50.). Eam massam aliquando sanguinis vis superstes liberat, & per vulnus aliquod arteriae venae incisum expellit. Id nisi factum fuerit, qui escit ad eam sedem sanguis, & ad coagulatum cruentum tamquam attractus colligitur. Iterum vero obstruktionem saepe vidi, quoties albus humor arteriam venamque incisam circa vulnus obforserat. Numquam tunc in eam obstruktionem quidquam natura molitur, neque sanguis versus eam sedem acceleratur, sed aut vias, per coagulum, liberas percurrit (l. c. Exper. 93.), aut omnino in toto eo trunco quiescit. Vulgare etiam est, sanguinem in arteriis immotum stagnare. Tunc qui nouus a corde succedit, adeo non arietat contra hoc obstaculum, ut repulsus ad cor redeat (Exper. 92. 93. 187.), neque obstructam arteriam dilater. Denuo, cum materies viscida carotidem alteram obstruxisset, neque diameter eius arteriae sub eo coagulo maior fuit, neque rubor vllus signumue inflammationis (Opuscul. pathol. obseru. 19.) adfuit. Adiicit his praemissis: Quare inflammationis causa omnino alia ab obstructione est, siue nunc a stimulo aliquo fiat, ut multa potissimum in oculo irritato phaenomena suadere videntur, siue omnino huius mali natura nondum penitus innotuerit (Elem. Phylol. l. c. pag. 116. 117.)

## §. XII.

*Ad ea respondeatur.*

Praecipua argumenta dixi, quibus Illustr. de HAL-  
LER vtitur, vt ostendat, quam male inflammatio obstruc-  
tionis vasorum adscribenda sit. Sequitur, vt ad haec, ea,  
quam debemus Viro illustri, obseruantia respondeamus.  
Atque primo non video, facio, quomodo, quae hic mo-  
uet Vir illustr. dubia, cum iis consistere possint, quae l.c.  
Tom. II. pag. 257. vrget, quem integrum locum hic pro-  
ponam. Agitur ibi de pulsuum celeritatis & frequentiae  
causis. Variis iam recentisis, ita disseritur: Iterum  
omnia obstacula, quae sanguinis per arterias liberum iter  
sufflaminant, cordis motum vehementer augent, quam-  
dus eius organi vires valent. Vinculum aortae iniectum  
miram in corde conatum vehementiam excitat, quia san-  
guinem a venis accipit, neque potest edere, neque se libe-  
rare stimulo. Quod vinculum id polypus facit. Eadem  
ratio est eorum obstaculorum, quae, in febre inque inflam-  
matione, subtiliora, sanguinis per minima iter morantur.  
Quoties nempe omnia plena sunt, & per arterias humo-  
ris vitalis circuitus absque mora expeditur, toties cor  
facile stimulo se liberat & integre, ut perfecte vacuum  
longiori demum tempore denuo eam sanguinis copiam re-  
cipiat, quae ad pulsum excitandum sufficit. Quoties ve-  
tero post arteriam sanguis cessat exire, neque vires hacte-  
nus deficiunt, toties cor stimulum venosi crux retinet  
diutius, & malignius expedit, atque adeo celerius pulsat  
& vehementius. Haec est causa pulsus vehementis fe-  
brium inflammatoryrum, in quibus lympha ad corii mo-  
dum lentescit, neque per minima vasorum sanguis libere  
circum-

circumit. Ita, addit in adiecta nota, crediderim celeritatem sanguinis febrilem explicari posse, non a diminuto vasorum liberorum numero atque adeo sanguinis per pauciora libera necessario celeriore itinere. Nisi egregie fallor, manifestum est ex his, HALLERVM id, quod loco §. anteced. citat. negauerat, nunc non tantum concedere, sed etiam vrgere. Vrget enim (quod ex allatis verbis facile colligitur), circulationem febrilem sanguinis in febris inflammationi pendere a quiete sanguinis ad densati in minimis vasis. Verum si ipse sanguis coactus producit talern quietem, vnde enascitur obstructio in inflammationibus. Nonne itaque HALLERVS largiatur necesse est, posse obstructionem ita natam in causa esse, vt in loco obstructione vehementior & febrilis adpareat circulatio, maiorque idcirco sanguinis impetus, quem tamen ab obstructione produci posse, negauerat antea (§. anteced.). Si vero illud concedit: nullum est dubium, quin ex ipsa illa, quam fouet, sententia possibilitas inflammationis, obstructionis vi subnatae, sequatur (§. X.). Neque etiam deinde, quod pace Viri illustris dixerim, tanti mihi ponderis videntur argumenta, quae BOERHAAVII theoriae opponit. Duo sunt, quibus vtratur (§. anteced.). Prinus a conuenientia ligature & vinculi cum obstructione desumit (§. cit.). Quantum vero haec, quod inflammationem spectat, a se inuicem recessunt, vel ex eo patet, quod partim in obstructione, inflammationem producente, diathesis sanguinis inflammationatoria, in injecto autem arteriis vinculo sanguis satis fluidus obtineat; partim obstructio, inflammationis comes, in innumeris secum coniunctis vasculis oriatur, ligatura vero in una arteria aut paucioribus instituatur. Neque

possimus ideo satis tuto a ligatura ad obstruktionem concludere. Fluidus certe sanguis, parum a ligatura impeditus, facile sese recipiet ad tubos communicantes; coactus & diathesi inflammatoria adfectus multasque cum violentia arterias obstruens, non item. *Posterior*, quod Illustris *de HALLER* proponit, argumentum (§. anteced.), visas ab ipso vasorum obstruktiones sine inflammationis phaenomenis respicit. Lubentes haec experimenta hasque obseruationes concedent Illustri *HALLERO*, qui *BOERHAAVII* de inflammatione theoriam probant; negabunt tamen, illum talem in arteriis obseruasse obstruktionem, quam tamquam inflammationis caussam concipiunt. Quae *placide* contingit vasorum obstructio, nimium certe est a caussa inflammationis remota, ut hanc generare posset (§. X.). Non mirum ergo, quod in foemina, cuius in *Opusc. patholog.* Obsér. 10. meminit *HALLERV*, nulla adparuerint inflammationis signa; obstructio enim, ut integra historia docet, lente est orta atque aerat, ut foemina ipsa, monstrare facile poterat. In reliquis exemplis (§. anteced.) *vel* non vera adfuit obstructio, *vel* ab ea certe maxime diuersa, quae sub inflammatione obtinet, hoc que tam quoad copiam vasorum obstructorum, quam quoad obstructionis caussam (quae in propofitis exemplis omnino non fuit diathesis sanguinis inflammatoria), eiusque sedem, quae in locis satis sensibilibus contingere debet, quando inflammatione exinde metuenda. Atque haec de argumentis Viri illustris; nam, quae alia adfert, aut fere nullius sunt momenti, v. gr. aequalitas ruboris in parte inflammatâ; aut theoriae omnino non opposita, quam §. X. proposui, sed *BOERHAAVIO* potius,

tius, qui innumerar, ut vasorum, ita inflammationum quoque series assumſit. Illustris *de*num **HALLERVS** ipſem, his omnibus in contrarium adductis, vrget & largitur, inflammationis cauſſam in ſtimulo quodam latere (§. anteced.). Nonne vero obſtructio ſubito contingens ſtimulum ſuppeditat (§. I. num. 2.)? Nonne id eo magis, quando feniſibilem corporis humani partem adfecit?

§. XIII.

*Vt inflammatio, ita febris. etiam inflammatoria modo ab obſtructione, modo ab alia cauſſa pendet.*

Videmus ergo, cauſſam inflammationis modo in obſtructione vasorum, modo in violenta & ſubitanea ſanguinis in telam cellulofam exhalatione ponendam eſſe. Idem idcirco de febre valet, quae inflammationi debetur. In caſu nempe inflammationis, ab obſtructione productae, manifestum eſt, febrem non minus ab obſtructione naſci (§. V.). Quando autem inflammatione ab exhalatione ſanguinis in cellulofam ſuboritur (§. X.): compressio vasorum violenta, hinc profiſcens, efficit, ut febris naſcatur, idque, ob auctam verſus cor reſiſtentiam, ſere eadem ratione, qua obſtructio febrilem ſanguinis impetum creat (§. V.); licet & hic dolor, ab affectione vicinorum neruorum pendens, concurrat, ut cordi tam maior ſtimulus, quam maior reſiſtentia obii-ciatur, atque haec quidem ob ſpasticam ſtricturam, qua vafa vi doloris adſciuntur, ille vero, quod dolor non

solum ob consensum vim cordis vitalem incitat, sed etiam motum massae sanguineae generatim auget, quo sit, ut cor non possit non validius potentiusque irritari. Iure ergo febrem inflammatoriam istis accensendam esse putau(i) (§. IX.), quae non semper obstrukione natales debent.

## §. XIV.

c. Dantur demum febres, quae semper ab obstrukione oriri videntur.

Demonstrauimus §. VIII. dari febres, quae numquam pro cauſa obstrukione agnoscunt; diximus dein §. IX. seqq. esse alias febrium species, quae non semper ab obstrukione reperi debent. Superest, ut cuicam, quod nonnullarum febrium origo *semper obstrukioni adscribenda sit.* Id de *continentibus*, quae dicuntur, febribus valebit, prout hoc etiam assumisse videtur Illustris b. m. HOFFMANNVS. *Inflammatoria* enim, inquit, febris dicitur illa, cuius cauſa est eminens *vasculorum*, secundum naturam non *sanguinem*, sed *tenue liquidum vescenitum*, a *sanguine oplatio atque distensio*. Hoc autem evenit vel in pluribus partibus simul, vel in una tantum. Hinc febres *inflammatoriae* vel *uniuersales*, vel *particulares*. Ex illis sunt, quando omnes fere sensu & motu *instructae corporis partes*, maximeque *neruoſo-membranaceae*, *leuiori inflammatione affectae*, quod accidit in *synochis*. Confer. EIVS Medic. ration. system. Tom. IV. Part. I. pag. 324. §. II. Neque is Viro illustri assensum denegabit, quando has febres leues inflammations pro cauſa habere affirmat,

qui

*quatenus Febris & inflammationis caussa habenda sit.* 31

qui partim phaenomena harum febrium cum inflammatoris comparat, partim caussas earum perpendit, quae ad vnam omnes ita sunt comparatae, ut sanguini diathesin inflammatoriam inducant, v. g. motus corporis enormis, labor nimius, crapulae, vigiliae diutius protractae, & alia his similia. Quoniam ergo haec omnia febrem quandam inflammatoriam sub continentium febrium cursu adesse produnt, neque tamen hic, cum nulla signa in cute adpareant, sanguinis in cellulosa exhalatio assumi potest: sequitur, febres continentes ex vasorum obstructione, leuorem febrem accidente, ortum suum sumere (§. X.).

§. XV.

*Quid iraque de obstructione, febris & inflammationis caussa, sentiendum? exponitur.*

Quodsi nunc quae differuimus de obstructione vasorum, tamquam febrium & inflammationum caussa, perpendantur: sequentia exinde patebunt.

- I. *Neque omnem febrem, neque omnem inflammationem ab obstructione oriri* (§§. VIII. IX. seqq.).
- II. *Inflammationem, ab obstructione oriundam, vt haec subito & cum violentia quadam nata sit, requiri* (§§. V. X.).
- III. *Febres, ab obstructione proficentes, modo subitam, modo lentam vasorum opilationem postulare* (§. IX. seqq.). Si prius: ab aucta resistentia & partium sensibilium irritatione; si posterius: ab aliis de-


*mum*

32 De Vasorum obstructione &c.

mum mutationibus, per obstructionem induitis,  
nascitur febris (§. V.); quod febris inflammatoria,  
cum lenta & hectica comparata, docet. Demum  
intelligimus:

IV. inflammationem numquam oriri ab obstructione,  
nisi diathesis inflammatoria huius causa existat,  
cum alias fluidus sanguis ad communicantes ramos  
sele recipere queat, aut obstratio lentius genere-  
tur, quod naturae inflammationis (n. II.)  
repugnat.

T A N T V M .



Gerührt



Gruht von Zärtlichkeit entflammt, die Liebe,  
In der der Freundschaft stets gerreuen Brust:  
Mein Bruder-Herz schwelt von der Macht der  
Trieben,

Der süßesten Lust.

Er kommt der frohe Tag und krönt mit Ruhme  
Dich Hygienens würdgen Lieblings Sohn:  
Nim für den Fleiß in ihrem Heilgthume  
Den glänzenden Lohn.

Welch ein erhabnes Glück! der Menschen Leben,  
Nach dem des Todes scharfer Pfeil schon zieht,  
Erettend bis zu neuer Blüth erheben,

Die freudig sich fühlt.

Mit Wissenschaft geschürt wird Dein Bemühen,  
Dem werthen Vaterlande nützlich seyn:  
Von Dir verscheucht seh ich die Krankheit fliehen,  
Und Linderung der Pein.

Und kont ich nur in recht beredten Bildern  
Dir unsers Thurens Vaters Freudigkeit  
Ganz unverstellt nach Seiner Liebe schildern!

Dir heilig geweyht.

Dein Will wird Seines Lebens Herbst beglücken:  
Sein wartendes Verlangen reget sich –  
O eile doch! – mit feurigstem Entzücken  
Umarmen wir Dich!

Bazwitz den 7. Sept. 1766.

Joh. Christ. Wiebecking,  
Prediger der Bazwitz- und Eoldemanzischen Gemeinde  
im Greiffenbergischen Kreysse.

E

MON.

## MONSIEUR


 Quel doux plaisir pour moi de voir approcher le jour, qui vous fera bientôt recevoir la récompense de vos heureux talens & de Votre assiduité ! Ce seroit en vain, que je tâcherois de cacher au public la joie, dont je suis penetré. Je m'y sens comme entraîné, & la satisfaction d'être aimé de vous me paroît se redoubler en la faisant connoître à tout le monde, & en marquant les sentimens de mon cœur. Ah ! qu'ils sont tendres ces sentimens inspirés par l'amitié la plus sincère qui fut jamais, & qui nous a unis dès notre tendre âge de liens indissolubles ! C'est elle, c'est cette conversation agréable & vertueuse, qui fait couler doucement mes jours & qui me fait goûter de tems en tems mille nouveaux charmes inconnus. Votre humanité, la bonté, la douceur de Votre cœur me donnent toujours de nouveaux sujets de vous admirer & me menent insensiblement à ce haut degré d'amitié, où je suis parvenu à présent, & qui fait toutes mes delices & la felicité de ma vie. Oui, MON TRES CHER AMI, ce n'est plus qu'un même intérêt qui nous lie ; Votre prospérité est la mienne ; aussi l'honneur qui vous attend me met au comble de la joie. Le plus beau spectacle se présente à mes yeux dans l'avenir. Je vous vois déjà courir au secours du malade tout atterri

dri de sa misère ; vous vous livrés déjà sans aucun menagement à cette vertu officieuse, laquelle, comme j'en suis témoin, fait toujours Votre delice ; & c'est par cet ardent desir d'être utile au prochain, que vous prenés la nouvelle dignité, dont vous allés être revêtu comme le prix de vos traveaux littéraires.

Allés donc MON CHER couronné de gloire revoir Votre patrie qui vous attend ; allés aux embrassemens de vos chers parens, qui n'ont que trop souhaité Votre retour. Quant à moi, je vous verrai partir avec moins de douleur, étant assuré, que nous serons bientôt réunis. Veuille le ciel vous accompagner par tout où vous irez. Mes vœux les plus ardens vous suivront, trop heureux si je les puis voir s'accomplir & si je puis toujours posséder là même place dans Votre coeur.

Voila les sentimens de celui qui est & qui sera toute sa vie avec le plus parfait attachement

à Halle  
le 22. de Septembre  
1766.

VOTRE

C. G. REDTEL  
de Stettin.

E 2

VIRO



V I R O  
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO  
**AVGVSTO GOTTHARD**  
**FVHRMANN**  
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM  
**CANDIDATO DIGNISSIMO**  
AMICO EX PAVCIS LECTISSIMO  
S. P. D.  
**CAROLVS BENIAMIN RVFFERV<sup>S</sup>,**  
SILESIVS, M. C.  
OPPONENTS.



Maximo cum gaudio amplector occasionem, publicis  
TIBI, AMICE PRAESTANTISSIME, indicandi litteris,  
quanti TVAM omni tempore existimauerim  
amicitiam. Quamuis vero modestia TVA, quae in TE singu-  
laris est, prohibere videatur, quo minus TIBI panegyrih nunc  
dicam, atque in laudes TVAS, admirabili scientia promeritas,  
excurram: tamen non contrarium TIBI fore arbitror, si modo  
dicam TE neque praeclaro ingenio caruisse, neque tempori,  
neque sumptibus, neque studio pepercisse, neque aliud quid  
intermissse, quo opus fuit, vt debitam consequatur maturita-  
tem cognitione doctrinae medicae. Lux festiuia, qua laurum Do-  
ctoralem, exactis annis academicis, adipisci fas est, TE praemiis  
condecorandum dignissimis, mox exorietur. Gratulor ita-  
que TIBI tam eruditam huius Dissertationis elaborationem; gra-  
tulor

tulor TIBI honores Doctorales mox impetrando, ac fructus  
 TVI indefessi studii colligendos. Opto itaque, velit summum  
 Numen TE, in splendoreim patriae, decus TVAE splendi-  
 dissimae Familiae, & ad aegrotorum solatium, prosperum,  
 incolumem ac faustum diu seruare. Macte hac TVA sorte  
 insigni, qua praestantius nihil vnuquam futurum existimo, sis-  
 que felix in repetendis laribus patriis. Ceterum abs TE,  
 amice obstrictissime, vt me fauore, quo coepisti, & imposte-  
 rum complectaris, decenter rogo. Vale. Dabam die XXIV.  
 Mensis Septembr. A. O. R. MDCCCLXVI.

---

V I R O  
 PRAENOBISSIMO, DOCTISSIMO,  
 SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM  
 CANDIDATO DIGNISSIMO,

AMICO OPTIMO

S. P. D.

JACOBVS GEORGIVS OTTO,

ANCLAMO - POMERANVS,

ART. MEDIC. CVLT. OPPONENS.



Maximo cum gudio amplector occasionem, publicis  
 TIBI, AMICE DILECTISSIME, testandi litter-  
 ris, quas vero non consuetudine, sed ex amici-  
 tia scribo, quanti TVAM omni tempore amicitiam aestimaue-  
 rim. A primo die, a quo alter alteri cognitus fuit, morum

E 3

elegan-

elegantiam, sinceritatem animique tui integratatem, quae in te singulares sunt virtutes, semper cognoui firmissimas. Tanto igitur tuo amore mei indignus ego omnibus, atque haud immerito, viderer, nisi hodierna festissima felicissima luce, qua, studiis tuis felicissime ad finem perdutis, Hygea amplissimis te publicis decorat praemiis, ac tempora tua lauro redimit, applaudentium tibi votis, vota mea sincerrima simul laetabundus & gratulabundus coniungerem. Gratulor tibi itaque ex animo, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, AMICE SVAVISSIME, de egregio hoc publico eruditioinis tuae specimine, quod hodie publici iuris fecisti & in quo utilissimum maximique momenti thema pertractasti. Defensurus hanc paeclare conscriptam Dissertationem, in me Opponentis collocauisti munus, nouo tua erga me amicitiae benevolentiaeque documento. Gratulor tibi, AMICISSIME FVHRMANN, de summis in medicina honoribus, in te breui solemniter conferendis. Gratulor patriae de Medico experientissimo venerandoque PARENTI TUO de filio familiae ornamento senectutisque delicio. Conseruet te DEVS T. O. M. per longam annorum seriem in gaudium splendidae tuae familie & in solamen multorum aegrotantium, saluum & incolument. Me vero, ut praesentem, ita quoque absensem ames carumque habeas, velim. Vale. Dab. in Acad. Frideric, die XXIII. Septembr. cl. CCCLXVI.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**  
 AMICO SVO AD CINERES VSQUE  
 COLENDO

S. P. D.

IOANNES CAROLVS LIETZMANN,

IVR. CVLT.

SEEHYS. POL. MARCHICVS.



Accidit illud temporis punctum iam dudum exoptatum, quo mihi datur occasio, animum, quem erga te habeo, publice testificandi. Cathedram enim adscendere vis, non, ut quid valeant humeri & quid ferre recusent experiaris: sed ut eruditio*nis* TVAE eximiae & diligentiae indefessae specimen edas atque in lucem proferas, ac summos, quos Medicina habet honores, consequaris. Sane indignus amicitiae TVAE forem, & crimen maxime abominandum ac detestabile subirem, si hanc gratam occasionem praetermitterem; quo quidem crimine maculari neutquam permittam. Absit, absit istud a me! Nihil ergo mihi prius sit, nihil antiquius, quam ut eam arripiam, TIBIQUE laetitiam & voluptatem exinde ceptam, quam etiam me tante scire potes, declarem. Licet TIBI iam satis cognitum sit, quanti TE faciam, quis meus ergo TE sit amor, tamen in tanta TIBI congratulantium frequentia silere nequeo. Qua de re non passum non ex intimo amoris affectu hodierna luce



luce TIBI gratulari, ac omnia fausta ac felicia apparet, quod  
 & officium & amicitia, quae inter nos intercessit infucata, a  
 me postulat. Verum non a me expectes, ut dexteritatem  
 TVAM, eruditionem exquisitam, prudentiam, ac indefessum,  
 quo in medicina incubuisti, studium, laudibus extollam; haec  
 iam sunt nota & perspecta. Gratulor itaque TIBI, amico-  
 rum optime, solemnem isthunc diem, quo summos in medi-  
 cina honores assequeris; gratulor TIBI felices studiorum TVO-  
 RVM successus; gratulor magnos, quos in medicina fecisti,  
 progressus; gratulor denique Parenti spectatissimo, cuius ex-  
 pectationem TV non modo impleuisti, sed eriam superasti.  
 Det Numen immortale precibus meis ardentissimis locum,  
 seruetque TE ad summam vsque senectutem ab omni incom-  
 modo, detimento ac malo liberum integrumque. Fortu-  
 net, prosperet, secunder res, conatus atque vota TVA. Hacc  
 votorum meorum est summa, hic finis. Ceterum summo-  
 perere abs TE peto & contendeo, ut amicitia TVA, qua me huc  
 usque prosecutus es, imposterum digneris. Vale & faue.

Dabam Halae die XXIV. Septembr.

MDCCXLVI.



01 A 6528

ULB Halle  
002 928 698


3





B.I.G.

Black



DE  
**VASORVM OBSTRVCTIONE**  
 QVATENVS  
**FEBRIS ET INFLAMMATIONIS**  
**CAVSSA HABENDA SIT**

INDVLTV  
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
**PRAESIDE**  
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BUCHNERO**  
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
 MEDICINAET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
 FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
 IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
 REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
 ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRAD V DOCTORIS**  
 LEGITIME IMPETRANDO

D. XXV. SEPTEMBR. A. R. S. CLO ICCC LXVI.

PVBLICE DISPUTABIT

AVCTOR

**AVGVSTVS GOTTHARD FVHRMANN**  
 IVLINO - POMERANVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELI VIDVAR.